

In *Xanthio spinoso*, sec. D. Berg. Chili (Mus. Vind.). Uruguay: Montevideo, sec. D. Berg; Argentina: Buenos Ayres, los Conchas, Chascomus, el Tandil, sec. D. Berg (Mus. Helsingfors).

Species colore maxime variabilis:

Var. variegata m.: Inferne tota straminea, superne straminea, vertice maculis duabus marginis postici, fronte maculis duabus magnis semi-ovalibus marginibusque clypei, pronoto plagis duabus magnis disci postici saepe confluentibus, scutello, macula magna ovali apicali excepta, clavo interne, corio, basi limboque exteriori exceptis, nec non disco cunei picescenti-fuscis; antennis articulo primo nigro, secundo stramineo, apicem versus cum ultimis nigricante; pedibus stramineis, femoribus annulis duobus ante apicalibus fusciscentibus, tibiis fusco-spinulosis, tarsorum articulo ultimo nigro-fusco; venis membranae dilute fumatae stramineis. ♀.

Var. limbata m.: Inferne nigricans, marginibus segmentorum anguste stramineis; superne nigra, capite macula verticis utrinque ad oculum maculisque nonnullis apicalibus, margine basali pronoti tenuiter (saltem feminae, maris plerumque concolore), apice scutelli, limbo exteriori commissura brevi margineque apicali corii, limbo laterali (♀) vel solum apice vel apice margineque interiori (♂) cunei stramineis, venis membranae fumatae sordide flaventibus; antennis nigris, articulo secundo medio plerumque late fusco-ferrugineo; pedibus stramineis, femoribus medio annulisque duobus ante-apicalibus, tibiis basi anguste tarsisque nigro-piceis, his articulo secundo fusco-ferrugineo. ♂ ♀.

Var. picea: Nigra vel nigro-picea, capite macula utrinque verticis ad oculum, macula utrinque ad basin clypei interdumque etiam vittula media frontis, scutello feminae apice (maris saepe toto concolore), corio angulo apicali, cuneo apice venisque membranae sordide stramineis, cuneo interdum toto rufescenti-piceo, antennis ut in praecedente; femoribus saepe totis piceis, tibiis tarsisque ut in praecedente. ♂ ♀.

Caput basi pronoti circiter $\frac{1}{3}$ angustius, ab antico visum latitudini cum oculis (♀) vel latitudini verticis oculique unici (♂) aequae longum; vertice oculo circiter dimidio (♂) vel duplo (♀) latiore. Rostrum coxas posticas attingens. An-